

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Corpus Juris Canonici Emendatum Et Notis Illustratum

Gregor <XIII., Papst>

**Editio haec postrema summâ fide & diligentîâ nunc denuò à
mendis prioribus Typographicis purgata, 1670**

Jo. Paulus Lancelottus Jureconsultus Perusinus, S.

[urn:nbn:de:bsz:31-107487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107487)



PIO PONTIF. MAXIM.

JO. PAULUS LANCELOTTUS
JURECONSULTUS PERUSINUS, S.

Pontificii Juris Institutiones proximis annis superiorum Pontificum jussu & nos conscripsimus, & summi viri castigavimus, quae quidem optandum sane erat, ut iis in lucem prodirent auctoribus, quorum mandato & scripta & recognita fuissent, vel eâ saltem ratione quod auctores ipsi munera nobis gratiora ac pretiosiora facere consueverint, & saepe non tam quid, quam à quibus accipiant, homines soleant perpendere. Sed quando id vel ratio temporum, vel alia quaecunque causa fieri non sinit, illud certe nullâ ratione committi debet, ut juris scilicet Pontificii Institutiones sub alterius, quam ipsius Pontificis nomine appareant, à quo Pontificia omnia jura emanant: velut enim ab Oceano deducta flumina in ipsum tandem refluunt, ita hoc, quicquid est operis, quod totum de Romanorum Pontificum Constitutionibus derivatum est, ad ipsum Romanum Pontificem, quasi ad fontem proprium, redibit. Ad te autem eò justius, quod magnis aliis animi dotibus, quibus ad Pontificatum tibi aditum parâsti, exactissimam adjunxisti Juris hujus cognitionem. Unde perbelle nunc accidit, ut quae facultas optimum te meliorem reddit, & ad moderandam difficillimis temporibus Christianam Respubl. instructiorem, eam nunc tu contra, cum Canonum conditor evaseris, beneficium reponens meliorem sis redditurus: cujus rei non dubia jam apparent indicia, cum ad restituendos antiquos Christianorum mores, atque haereses extirpandas, sanctissimas quotidie Constitutiones edere non desistas, quae dubio procul Christiano gregi non minus futurae sunt salubres iis ipsis quae juris Pontificii, quod nunc tenemus, libros implent, ad illas autem Institutiones haec nostrae gradum fortè rudioribus facere poterunt. Accipies igitur eas placido ac benigno animo: nam si ita contingere senserimus, ad alia promptiores reddemur, & alacriores. Deus Opt. Max. te nobis diu incolumen, felicemq; servet.